

moratus, eadem nocte lætissimus redit ad dominum suum, narrat ei, quid gestum sit, vinumque illi bibendum offert. Posteaquam ille bibit e vino sacrato, eadem hora sanatur, et mirifice laudans Deum, auctorem salutis suæ, bonam possessionum suarum partem Deo et beato Bertino largitur.

CONCIO III.

SUADETUR VIDUITAS.

I. Suadet natura. — II. Ratio. — III. Liberi. — IV. Ecclesia. — V. Sacra Scriptura. — VI. Sancti Patres. — VII. Deus.

THEMA.

Et hæc erat usque ad annos octoginta quatuor, Luc. 2.

Duæ contra viduitatem olim erant hæreses: una Joviniani qui eandem vilipendebat et nihili pluris quam conjugium aestimabat: contra quem scripsit ex professo S. Hieronymus: altera Montanistarum, in quem lapsus est Tertullian. lib. de monogamia, c. XVII. qui secundas nuptias damnabant. Ecclesia Catholica in medio graditur et suadet viduitatem, non præscribit. Neutrum igitur faciendum est, nec viduitas spernenda, nec secundæ nuptiæ damnandæ. Sed quid si consulat me aliquis? Utra mihi sequenda, bigamia an viduitas? Odiosa propositio. Sacrum inter et saxum hæreo. Si suasero viduitatem, homines offendo et in saxum impingo. Si dissuasero, Deum offendo et saxum. *Consurgent proceres adversum me*, (ait Hieron. ep. ad Furiam, cum ei viduitatem suaderet) *et epistolam meam: turba patritia detonabit, me magnum, me seductorem clamitans, et in terras ultimas deportandum*. Sed quemadmodum ipse nihil horum veritus est, ita nec ego vereor. Protestor enim imprimis: non damno secundas nuptias, imo nec tertias, nec quartas, etc. nec impedio, sed honoro suo modo; interim tamen viduitatem præfero et suadent sequentes consiliarii.

I. Natura, scribunt enim S. Basilii in Hexam. hom. VIII. et S. Hieron. l. II. contra Jovin. turtorem ubi semel comparem suum perdidit, nulli amplius conjungi, sed deserta inhabitare loca et viduitatem colere tota reliqua vita. Causa videtur esse ingens amor erga comparem. Quis hujus rei rationem reddat? Forsitan quia per conjugium conjuges fiunt una caro, Gen. II. itaque cum alter ab altero per mortem dividitur, ipse qui superest, quasi semimortuus est. Si enim S. Bernardus, in sermone super Canticam, fratre suo Gerardo mortuo, animam suam quæ cum fratre eadem erat, per mortem illius divisam fuisse scribit, et alteram quidem partem ejus in cælo locatam, alteram, id est se, in

cæno relictam fuisse, non immerito id ipsum de conjugibus dici potest. Mortuo quidem conjugē, liber est alter, teste S. Paulo: *Cui vult nubat*. Quod si tamen superstes conjugem suum mortuum interrogare posset: quid respondi putas, audiret? *Hodie mihi, cras tibi*. Unde Hieron. in ep. ad Furiam ait? *Cogita te quotidie esse morituram, et nunquam de secundis nuptiis cogitabis*. Et rursus ibid. *Scribuntur tibi nunc sponsales tabulæ, ut post paululum testamentum facere compellaris*. Idem l. I. contra Jovin. scribit de Valeria quadam, quæ rogata quam ob rem, defuncto marito Servio, nulli posthac nubere vellet, respondit: *Quia Servius meus, licet aliis defunctus sit, apud me tamen vivit, vivetque semper*.

II. Ratio, quæ cuivis prudenti dictat pericula vitanda et labyrinthos, ex quibus semel evaserit. Ejusmodi autem labyrinthus est matrimonium. P. Syrus apud Brus. l. IV. c. XXV. ait: *Improbe Neptunum accusare, qui iterum naufragium facit: sentiens eum, qui semel naufragium fecit, non facile iterum navigaturum, si sapit*. S. Hieron. ad Furiam ait: *Bruta animalia et vaga aves in easdem pedicas retiaque non incidunt: facite monens viduas, ne et ipsæ facile ad priores conjugii, quos evaserunt, laqueos redirent*.

III. Liberi: unde Hieronymus loco cit. ait: *Solent adolescentulæ viduæ in Christo nubentes dicere: Parvulos meos quis erudiet et verbulas quis educabit? Et hanc pro nefas! causam apponunt matrimonii, quæ vel sola debuit nuptias impedire. Superducit mulier filiis non nutritium sed hostem: non parentem sed tyrannum: inflammata libidine obliviscitur uteri sui et inter parvulos suas miseras nescientes, lugens dudum nova nupta componitur*. Hæc ille. Deinde: *Matres, quæ iterum nubent, liberis prioribus matres suffurantur* (ait S. Ambrosius, l. de viduis): *derivantes maternum animum ad liberos posteriores*.

IV. Ecclesia, quæ primas nuptias benedicat, non item secundas. can. Vir autem de secundis nuptiis: tum quia primæ honoratior, tum quia illæ solæ representant matrimonium Christi cum Ecclesia, quod est inter unum et unam tantum, eritque in sempiternum. Ad hæc viri, qui ad secundas nuptias transeunt, incurrunt notam irregularitatis seu inhabilitatis ad statum sacerdotalem et reliquos ordines illum præcedentes, juxta præceptum apostoli *Unius uxoris vir*, l. Tim. III. eo quod degenerarint a perfecta matrimonii significatione, unione scilicet unius Christi cum una Ecclesia, cum etiam sacerdotium sit status admodum excelsus et purus, non sint digni, qui ad illum admittantur, si indicia dederunt exiguæ adeo continentia, ad secundas

transeunt nuptias et secundo ligantes se vinculo, quod jam semel Deus dissolverat.

V. Sacra Scriptura, l. Cor VII. *Dico autem non nuptis et viduis*, ait apostolus: *bonum est illi si sic permanserint sicut et ego*. Rationem reddit paulo infra: *Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Dei sunt, quomodo placeat Deo, qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi; quomodo placeat uxori, et divisus est. Et melior innupta cogitat, quæ Domini sunt, ut sit sancta et corpore et spiritu*. Et paulo post: *Hoc dico, ad id quod honestum est et quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi*. E contra de nuptis ait ibid. apostolus: *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi; quod ostendit Hieron. loco supra cit.* *Nam, inquit, si uxor habeat ex priore marito liberos; domestica pugna, intestinum prælium, non licet tibi amare liberos, nec æquis aspicere oculis, quos genuisti; clam porriges cibos, invidiebit mortuo, et nisi oderis filios, adhuc eorum amare videberis patrem. Quod si de priore uxore sobolem habens te domum introduxerit, etiam si clementissima fueris, omne genus comœdiæ et mimographi et communes rhetorum loci in novercam sævissimam declamabunt. S. privignus languerit et condoluerit caput, infamaberis venifica, si non dederis cibos; crudelis si dederis, malefica diceris. Oro te quid habent tantum boni secundæ nuptiæ, ut hæc mala valeant compensare?* Hæc Hieronymus.

VI. Suadent sancti Patres et doctores, qui omnes statum viduitatis medium ponunt inter conjuges et virgines. S. Hieronymus, l. I. contra Jovin. Fructum centesimum assignat virginibus, sexagesimum viduis, trigesimum conjugatis, ex Matth. XIII. Unde gratias agere deberent viduæ, quod perditio licet primo virginitatis gradu, per tertium tamen venerint ad secundum, ut insinuat idem in ep. ad Furiam: sicut qui de ponte cedit in fluvium, si apprehendat navem aut trabem, qua emergat. S. Ambrosius, in l. de viduis, ejus meritum virginitati pene æquat propter ejus difficultatem. *Propemodum non inferioris virtutis est, inquit, eo abstinere conjugio, quod aliquando delectaverit, quam conjugii oblectamenta nescire*. Similiter S. Paulus loco indicato ait: *Beator erit, si sic permanserit, mulier scilicet viro suo orbata*. Idem Tim. V. præcipit *Viduas honora*. Ecce episcopus jubetur honorare viduas: quanta isthæc gloria? sic etiam Joachim summus sacerdos cum presbyteris suis ita laudat Juditham, c. XV. *Tu gloria Jerusalem, tu latitia Israel, tu honorificentia populi, etc. eo quod castitatem amaveris et post virum tuum alterum nescieris, ideo et manus Domini confortavit te et ideo, eris benedicta in æternum*. Quim etiam apud veteres Romanos, quæ

uno contentæ matrimonio fuerant, inquit Valerius Max. l. II. c. I. *corona pudicitia honorabantur*.

E contra despiciuntur quæ pluries nubunt. Narrat S. Hieronymus, ep. ad Geruntiam suo tempore cum esset Romæ Damaso Papæ ab epistolis, vidisse se duo inter se paria vilissimorum et plebe hominum comparata: unum qui viginti sepelisset uxores, alteram quæ vigesimum secundum habuisset maritum. Qui matrimonio sibi copulati, summa cum omnium expectatione tam virorum quam feminarum, uter utrum esset sepulturus; vicit tandem maritus. Qui totius urbis populo confluente coronatus et palmam tenens, adoransque per singulos sibi acclamantes, uxoris multinubæ feretrum præcedebat. *Quid dicimus tali mulieri?* Inquit Hieronymus: *nempe illud quod Dominus Samaritanæ: Viginti duos habuisti viros, et iste a quo sepelieris, non est tu us*. Sic Hieronymus.

VII. Deus ipsemet, qui singularem curam viduarum suscipit, easque fovet. Nam Ps. CXXXI. ait: *Viduum ejus benedicens benedicam*. Et Exod. XXII. ait: *Vidue et pupillo non nocentis; si læseritis eos, vociferabuntur ad me, et ego audiam clamorem eorum et indignabitur furor meus perculiamque vos gladio, et erunt uxores vestre viduæ*. Ecce viduæ habent tutorem Deum et benedictionem duplicem, scilicet promissionem omnium bonorum, terrenorum et supernorum.

Ad extremum vultisne, auditores, videre illustres aliquot viduas? Advertite. Talis vidua fuit Euphrasia Romana, quæ juvencula nobilis et potens, mortuo marito, cum ab imperatore urgeretur ad secundas nuptias, omnibus abdicatis, secessit in Thebaidem, ibique in sancta viduitate inter sanctos vixit et mortua est. Talis fuit et Constantia filia Constantini imper. quæ Gallicano marito duci totius exercitus persuasit, non tantum fidem Christi, sed et continentiam, cujus et votum uterque nuncupavit.

Unde ipse se totum pauperum ministeriis addixit, et sub Juliano apostata gloriosum martyrium consummavit. Talis fuit S. Elisabeth filia regis Hungariæ, quæ juvencula, mortuo marito, totam se dedit curæ pauperum et ægrotorum. Talis fuit S. Birgitta vidua nobilissima, quæ totam se peregrinationi ad loca sancta addixit, Romam et Hierosolymam adiit, multa monasteria fundavit, multaque alia heroica opera perfecit. Talis fuit Olympias, quæ, Nebridio marito præfecto urbis Constantinopolitanæ secundo conjugii anno mortuo, juvencula secundum maritum respuit. Cumque Theodosius imper. eam plane conjungere vellet Elpido quidam sibi congeneri illa restitit, dixitque: *Imperator meus si voluisset*

me vitam transigere cum viro quopiam, utique non ademisset mihi primum conjugem: nunc eum adimens matrimonii molestiis me extricavit, et suave continentiae jugum mihi imposuit mentique meae infudit. » Quare se totam addixit ministeriis templi, eleemosynis, piisque operibus. Unde mire eam laudat S. Chrysostomus.

Marcella Romana nobilissima viro post nuptias septimo mense privata est. Cum eam Cerealis consul Romanus propter aetatem, et antiquitatem familiae et insignem decorem corporis, ac morum temperantiam ambitiosius peteret, suasque jam grandis natu polliceretur divitias, et non quasi in uxorem, sed quasi in filiam vellet donationem transfundere, Albinaque mater tam clarum praesidium viduae domus ultro appeteret, illa respondit: « Si vellem nubere et non aeternae me cuperem pudicitiae dedicare, utique maritum quaererem, non haereditatem. » Illoque mandante posse et senes diu vivere, et juvenes cito mori, eleganter lusit: « Juvenis quidem potest cito mori, sed senex diu vivere non potest. » Quare vidua permanens pietati et Deo vacavit. Ita D. Hieron. in epitaph. Marcellae.

Galla Symmachi consulis Romani filia tradita marito, primo anno eo orbata est: cumque omnes eam urgerent ad secundas nuptias, etiam medici dicentes, nisi nuberet, eam ob igneam complexionem contra naturam barbam habituram, quod et factum est: illa constans in viduitate permansit, neque hanc exterius deformitatem timuit, quae interius coelestis sponsi speciem amavit. Mox ergo ut ejus maritus defunctus est, abjecto saeculari habitu, ad omnipotentis Dei servitium sese apud B. Petri Ecclesiam monasterio tradidit, ibique multis annis simplicitati cordis et orationi dedita larga indigentibus eleemosynarum opera impendit. Cumque omnipotens Deus perennem jam mercedem reddere ejus laboribus decrevisset, cancri ulcere in mammilla percussa est; nocturno autem tempore ante lectum ejus duo candelabra lucere consueverunt, quia videlicet amica lucis, non solum spirituales, sed etiam corporales tenebras odio habebat. Quae dum nocte quadam ex hac eadem jaceret infirmitate fatigata, vidit B. Petrum apostolum inter utraque candelabra ante suum lectum constitisse, nec perterrita timuit, sed ex amore sumens audaciam exultavit, eique dixit: « Quid est Domine mi, dimissa sunt mihi peccata mea? » Cui ille benignissimo vultu inclinato capite annuit, dicens: *Dimissa, veni.* Refert haec succincte et nervose mores suo Cornelius a Lapide, in I. Epist. ad Tim. c. V.

CONCIO IV.

VIDUARUM PRÆSCRIPTA.

I. Constans propositum viduitatis. — II. Solitudo et fuga mundi. — III. Fuga deliciarum. — IV. Oratio continua. — V. Vestitus simplex. — VI. Victus tenuis.

THEMA.

Et haec vidua erat usque ad annos octoginta quatuor, Luc. 2.

Quatuor personas sanctitate vitae insignes interfuisse oblationi Christi testatur hodiernum evangelium, Deiparam et Josephum conjuges, Annam deinde viduam, denique Simeonem seniculum et ipsum haud dubie viduum, utpote speciali gratia longiori aetati servatum. Porro quatuor has personas si accurate intueamur, viduimus a Luca subtili penicillo depictas sub typo quatuor avicularum, quas paulo ante commemorat pro Christo oblatas sub disjunctione; duos videlicet columbarum pullos, et duos turtures. Quid enim duo columbarum pulli, nisi castissimos illos conjuges Josephum et Mariam, qui tam expertes commixtionis erant, quam pulli columbarum esse solent, significat? Et quid duo turtures, viduitatis typi, nisi Simeonem et Annam denotant? Spirituales haec aviculae, quas secum adduxit in templum Christus, longe praestantius munus erant, quam turtures vel columbae illae, quas offerri praecipit lex. Ex his in nostram instructionem seligamus Annam, et proponamus turturem istam viduis et viduabus in exemplum et imitationem.

I. Turtur si compare suo destituatur, alteri non jungitur, sed viduae instar solitariam deinceps vitam agere fertur, Bart. Angl. l. XII. c. XXXIV. Primum hoc viduarum decus est, constans videlicet servandae viduitatis propositum, causa castitatis. Nam si istud desit viduabus, ea quoad animum viris junctae censentur, cum corpore jungi nequeant. Deus autem intuetur cor. Hinc apostol. I. Timoth. V. ait: « Viduas honora, quae verae viduae sunt. » Ubi notat Chrysostomus et Ambrosius fieri posse, ut aliqua sit, quae virum non habeat, nec tamen vidua sit. Sicut enim virginem non facit abstinencia a conjugio, sed amor integritatis, qua se Deo sanctam praebet; ita etiam viduam, quae si statum viduitatis ex proposito non eligat, ut melius Deo serviat, sed vel ut libertate sua potiatur et a viri imperio immunis sit, vel quia a viris respuitur, vere vidua non est; sed levicula mulier, fraeni impatiens, vel mente copulata viro. Non sic Anna nostra, quae cum adhuc valde juvenis viduitatem ingressa esset, scilicet post septem annos conjugii, et vixerit deinceps octoginta quatuor annos, procul dubio si voluisset rursus nubere, facile potuisset. Signum ergo est ex

proposito electam ab ea viduitatem esse, ut divino cultui melius vacare posset, uti et fecit. Hoc etiam viduitatis decore insigniter praedita fuit sancta illa Judith, quae licet adhuc juvenis ac nobilis, licet formosissima, licet dives valde esset, licet ejus conjugium a multis et magnis ambi retur, licet denique rarior tunc viduitas foret, alterum tamen virum, primo defuncto, non admisit.

Quod si aliqua vidua hunc decorem suum magis augere velit, voto se adstringat. Hinc enim primo fortior reddetur ad servandam castitatem et resistendum carnis illecebris, dum sibi potestatem et claves quasi ad eas obtinendas ademit. Unde S. Augustin. libro de bono viduit. c. V. « Ab illicitis valde longe est, quae voti libertate se obstrinxit, et sibi etiam licita ne licerent, non imperio legis, sed consilio charitatis effecit. » Deinde ea viduitas ejusque observatio longe acceptior Deo fiet: quia non actum tantum, sed et ipsam potentiam, voluntatem scilicet et libertatem, adeoque non fructus tantum, sed et arborem ipsam una cum fructibus Deo donat. Porro hoc, ut supra dictum, non ex motivo temporali, ob amorem libertatis, vel ut Deo amplior libertas servetur, etc. sed animo servandae castitatis, vel melius Deo serviendi fieri debet, ut coram Deo laudem mereatur et praemium.

II. Turtur soli udinem diligit et hominum consortia fugit, ad hortos et agros cibi tantum quaerendi gratia prodit, moxque in solitudinem suam revolat: ut scribit Anglicus loco cit. Altera haec viduarum dos est, domi se continere et publicum vitare, nec nisi ad templum et vicium comparandum facile prodire. Id docet imprimis Apostolus I. Timoth. V. ubi reprehendit viduas otiosas, quae discunt circuire domos curiosae, loquentes, quae non oportet. Et S. Hieronymus viduarum egregius institutor qui in epist. ad Furiam ait: « Noli in publicum subinde procedere. » Et epist. XCVI. « Quid facit vidua inter familiae multitudinem? inter ministrorum greges? » Et S. Ambrosius in l. de viduis: « Ne dixeris, inquit, sola ego sum. Castitas solitudinem quaerit: pudica secretum, impudica conventum. » Talis etiam turtur fuit imprimis Anna nostra, « Cujus diversorium, (inquit S. Ambrosius, l. de viduis), erat in templo, colloquium in prece, vita in jejunio. » Si enim juxta Lucam non discessit de templo, si orationibus servit die ac nocte: quando quaso tempus habuit in publico versandi, aut per domos circumsursandi? Deinde talis etiam Judith fuit, quae marito orbata, fecit sibi in superioribus domus suae secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur, ut dicitur, Judith c. VIII. Superiora domus inco-

luit juxta morem veterum, qui, teste Eustachio in II. Iliad. virginibus id est, editiora in domo loca aedificabant; ne facile adiri conveniri que possent. Caterum hoc non contenta Judith clausuram etiam addidit, et domi suae velut in monasterio cum suis vixit. Nimirum pudicitiae satis oppessulari nequit, quae praeter externos insidiatores, propriam etiam carnem proditricem habet.

III. Turtur viduata super ramum viridem non sedet, nec aquam puram bibit, ut scribit Mariol. tom. IV. canic. coll. I. cadaveri aut rei foetidae non insidet, ut Anglicus loco supra cit. Hunc in modum vidua mundi deliciis et vanitatibus mortua sit. Cogitare enim debet dimidiam animae suae partem, maritum scilicet, jam in sepulchro esse, se proinde semimortuam. Certe apostolus in epist. cit. ait: *Quae in deliciis est vidua, vivens mortua est.* Tametsi enim corpore spirat, secundum animam tamen mortua est. Quia ut corporis vita est anima, ita animae vita est Deus; quo pulso per peccatum, mortua est anima. Non frustra Cantic. II. Sapiens conjunxit tempus putationis cum voce turturis: *Tempus putationis advenit, inquit, vox turturis audita est in terra nostra.* Indicat enim cum voce turturis seu gemitu viduae, coincidere debere tempus amputationis superfluitatum, nugarum et ineptiarum saecularium, ita ut vidua reputet omnia mundi gaudia et commoda sibi esse amputata, et mortua; quemadmodum fecit S. Elisabetha, quae nuntiata sibi morte mariti Ludovici principis Thuringiae: « Ergo, inquit, frater meus occidit (sic maritum appellare solebat) mihi ergo simul cum illo omnia mundi gaudia extincta sunt. » Raderus in Bav. S. p. I. itaque reliquum vitae tempus totum Deo transcripsit. Nimirum sicut turtur amisso compare deinceps semper gemit, quasi mortem ejus lugens; ita et vidua semper in recenti memoria retinere et lugere mariti mortem debet: proinde insulsam mundi musicam et blanditias non admittit. Sic faciebat Noemi illa, quae post mortem mariti rediens in patriam suam Bethlehem, cum a notis salutaretur, Noemi, id est pulchra, suavis seu amœna, respondit: « Non vocetis me Noemi: id est, pulchram, (seu suavem et jucundam, ut Serarius ibi advertit posse verti) sed vocate me Mare, id est amaram, quia amaritudine valde replevit me Omnipotens: » ob mortem scilicet mariti et duorum filiorum, Ruth. c. I. Simile exemplum, de gentili licet femina, Martia Catonis filia, adducit S. Hieronymus contra Jovin. quae cum lugeret virum et matronae ab ea quaerent, quem tandem ultimum lectus diem haberet, respondit: *quem et vitam.* De-